

admoneat inanis illa et ieiuna verborum Latinorum obscuritas; quem non eo adducat, vt neminem fateatur audere debere ad enarrandum vllum libri alicuius veteris locum prius accedere, quam diligenter viderit et studiose quaesuerit, integra omnia ibi et sana reperiantur, an vitii aliquid et labis alicubi haereat imperitorum librariorum culpa adpersum, vt, si mendae quaedam et maculae appareant, eluere eas ante et delere studeat? Et quis in hac tanta et tam euidenti et perspicua vtilitate Critices, cuius sine auxilio idonea vllius libri interpretatio saepe ne cogitari quidem possit, non miretur, vixisse omnibus saeculis in omnibus ciuitatibus non paucos, qui sperarent, atque adeo confiderent, se, sine vlla huius curae et diligentiae molestia, iucunda sane et dulci, recte feliciterque versaturos esse in interpretandis libris diuinis, et qui huius laboris onus subiissent, eos temeritatis et leuitatis nescio cuius accusarent: quum tamen a libris diuinis, descriptis ab imbecillis leuibusque hominibus, constet non magis abesse huiusmodi labeculas et vulnera, quam ab scriptis humanis ipsis?

II. Est autem medicina horum vulnerum duplicis generis: alia, eaque fere optima et efficacissima, petitur ex ipsis Codicum bonorum armariis: alia promitur ex ingenii felicis et subacti thesauris, non semper illa bona et salutaris. Sed vtriusque generis, posterioris maxime, remedia ante, quam adhibeantur, diligentissime exigere oportere ingenia eorum et virtutes patet, cum ad ipsarum rerum naturam, tum, vt omnino ad leges et praecepta linguae, qua libri scripti sunt, ita in primis ad vsum loquendi scriptoris cuiusque. Etenim magnam nunc Criticorum, Batauorum maxime et Britanorum, reperiri multitudinem

nem